

I, 16.



I, 16.

Contenta.

1. progr. quo nonnulla ex antiquis
Saxonica attinguntur Mittelb. 1759.
2. bib. } progr. I - XIV. De originibus Sa-
15. xonicis illo. 1761 - 1766.

RECTOR
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS
CHRISTIANVS
S I G I S M V N D V S
GEORGIVS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIUS ALVMNORVM
REGIOELECTORALIVM EPHORVS

INSTYTUTVM

IO. FRIDERICI ROETINGI

WILDAVIA SAXONIS.
LEG. CVLT.

LIBERALITATIS MARESCHALLIANAE MEMORIAM
ORATIONE ANNIVERSARIA

A. D. V. CAL. MAT. A. S. R. CIC 100 CLIX
IN AUDITORIO MAIORE

CELEBRATVRI
C I V I B V S
ET STVDIORVM FAVTORIBVS
COMMENDAT

Attinguntur per hanc occasionem nonnulla ex
Antiquitate Saxonica.

VVITTEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS



Licet eorum opinionem nunquam probauerimus, qui Graecae et Romanae antiquitatis studium damnare voluerunt, quoniam parum nostrae rei p., longe aliis institutis vigenti, profit: semper tamen sic statuimus, ex quo nostris rebus lumen quoddam litterarum illatum est, posse eas cum parente humanitatis Graecia et domina gentium Roma de praestantia et vtilitate contendere. In Saxonum praeferim historia multa supersunt, quae, a scriptoribus infantis aeui prodita, dignam decoris ingenii exercendae industriae materiem praebent. Sic diu non satis intellectus fuit **VITI-**
CHINDVS Corbeiensis, vbi scripsit, Henricum Aucupem primum libera potestate regnasse in Saxonia: donec **I. G. BOEHMIVS**, V. Ampliss. Prof. Hist. Lips. celeberrimus, felicissime de translato imperio in gentem Saxoniam, nullius dehinc alterius potestati, sicut sub Francis antea, obnoxiam, exposuit. Dici non potest, quam et ingenio scriptoris et temporum conditioni respondeat doctissima interpretatio; cui confirmanda duo locupletissima testimonia similium stilo et studiis scriptorum proferimus. Alterum est **CHRISTAN-**
NI de Pass. S. Wenceslai apud **BALBINVM** Epit.

):(2

rer.

rer. Boh. I. I. c. X. Agebantur vero haec temporibus Henrici regis Saxaniorum, qui primus inter ipsos Christo sibi propitio diadema imposuit. Diceres haec verba paraphrasin loci Vitichindei; adeo idem certe vterque dicere voluit. Alterum est **SCRIPTORIS SAXONIS** incerti de vitis imperatorum, editi a **MENCKENIO** Scr. rer. G. T. III. qui narrationem de Ludouico Infante in hunc modum conclusit: *De consilio tamen eius Conratus in regem electus est. In isto Conrado imperialis dignitas ad Theutonicos aduenit, atque in (forte: ex) eo prosapia Karoli terminata fuit.* Apparet, et hunc de mutato genere regio diuersis verbis, sententia eadem, loqui. Restat in historia maiorum nostrorum alia difficultas circa locum in auctoris incerti **VITA LUDOVICI PII**, edita a **PITHOEIO** An. et Hist. Fr. Scr. XII. vbi legimus: *Quo etiam tempore Saxonibus atque Frisonibus ius paternae hereditatis, quod sub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, imperatoria clementia restituit.* Nodum hunc, vindice sane dignum, quam multi soluere aggressi sint, vix operae pretium fuerit, hic exponere. Acumine reliquis expositiōnibus praestare videtur eorum coniectura, qui de iure caducorum circa peregrinos, albinagium vul-

go

go vocant, in Saxonibus, ter a Carolo M. in ter-
ras Francicas translatis, abrogato accipiunt. At
praeterquam, quod argutiae de Albinorum ety-
mo a Saxonibus Albianis locum huic commen-
to fecisse videri queant, ex illis, quae prece-
dunt, satis intelligitur, scriptorem hunc de Sa-
xonibus in media Germania agere; quia ad hos,
tanquam fidos et Ludouico ad nutum parituros,
Harioldum Danum, ad speculandas regni recupe-
randi occasiones, ablegatum narrauerat. Sed,
quod maximi momenti est, euinci potest, de nul-
la iuris priuati parte illa explicanda esse; quia Sa-
xones in foedere, quo in fidem venerant, A. C.
10 CCC III. integras suas leges conseruauerant, et
per omnia Francis exaequati fuerant, vt credere
tot idoneis monumentis, et comitiorum, quibus
pari cum Francis loco interfuerunt, actis par est.
Et, si quae gens vnquam, maiores certe nostri
pro conseruatione suarum legum priuatarum ex-
cubarunt. De Henrico S. testis est I. V. DIT-
MARVS, promisit, scribens, se legem ipsorum (Sa-
xonum) non in aliquo corrupturum, sed vita comi-
te clementer impleturum. Conradi Salici promis-
sionem sic narrat VIPPO: deinde Saxoniam veni-
ens, ibi legem crudelissimam Saxonum secundum vo-

luntatem eorum confirmauit. Ad quid A. C.
CICLO XXXV. Henricus IV., si imperium in Saxo-
nes retinere vellet, adactus fuerit, CHRONOGRAP-
HVS SAXO Leibnitii apertissime declarat, quum
ius iurandum, quod Vdo, Hildesiensis antistes,
antequam pacis internuntius esse auderet, ab im-
peratore exegit, describit. *Sacramentum*, refert,
acepit ab Henrico, si Saxones ad eum conuerteren-
tur, eumque paterno uti regno paterentur, ipse
nunquam eis illud ius infringeret, quod a tempore
expugnatoris eorum Caroli aptissimum honestissi-
mumque habuerant; vt si quisquam suorum cum
aliquo de Saxonibus contra legem ageret, ipse a die
factae sibi proclamationis infra sex septimanas di-
gna illud satisfactione componeret. His autem
quid clarius; quum praesertim alii longe graui-
ores eiusdem aetatis auctores veritatem rei sic ge-
stae firment? Relinquitur ergo, vt ex iuris pu-
blici quodam capite scriptorem rerum Ludouici
explicemus. Huius enim longe aliam, quam pri-
uatarum legum, rationem antiquitus post Caroli
victoriam fuisse, auctoritate ADAMI BREMENSIS
Hist. Eccl. I. II. c. IV. conficimus, vbi de ducatu
Saxoniae Hermanno Billungo collato sic praefaf-
tur: *Nondum enim post tempora Caroli propter ve-*
teres

teres illius gentis *seditiones Saxonia ducem accepit,*
nisi Caesarem. Hic aliquis forte obiiciet, si vera
ille narrat, quid fiet de Ludolfo, Ottone, et
Henrico ante imperium? Agnoscamus hoc, et
propterea vix dubitamus, vnicam voculam in
Adami codice excidisse, ut postrema sint legen-
da: *nisi per Caesarem*: vt hoc modo ducem eli-
gendi ius ademtum genti adfirmet, accipiendo il-
lum ab imperatore morem non neget. Quid?
si ergo ipse tunc Ludolfus, cuius euectionem ad
principale fastigium diserte **Rosvitha** carm. de
Gandersf. Coen. v. 14. sq. Ludouico Pio attribuit,
recepit auitae dignitatis, maioribus suis ante Ca-
roli victoriam electione populi collatae, heredi-
tarium ius; cum Saxonibus ius paternae heredi-
tatis, vt obscurius historicus Francicus scribit, re-
stitueretur, hoc est, filiorum successio in princi-
palibus officiis, quae feuda hodie maiorum digni-
tatum dicuntur, nisi delinquissent, instauraretur?
Nihil sane rei conuenientius reperimus. Nam et
Rosvithae versus: *Principibus fit par, ducibus sed*
nec fuit impar, pro infantia illius aeui aut hoc,
aut nihil, significat, effectum fuisse pariter et
principem, h. e. administratoria potestate ab im-
peratore praeditum, et ducem, id vero est, benefi-
cio

cio terrae et regionis donatum. Atque sic quidem interpretandi scriptorem istum Pithoei causam nobis dedit REGINO ad A. C. 10 CCCC XLIX.
Vto comes obiit, qui permisso regis quidquid beneficii aut praefectorum habuit, quasi hereditatem inter filios diuisit. Eodemque plane pertinet Caroli Calui constitutio apud MIRAEVM Annal. Belg. ad A. C. 10 CCC LXXVII. vbi legimus: *usque dum nobis renuntietur, ut filium illius, qui nobiscum erit, de honoribus illius honoremus.* In his enim illud ius paternae hereditatis plane nobis deprehendere videmur.

Et ad haec quidem commentanda in honorem gentis nostrae semper liberrimae animum adiecimus; quum VOBIS, CIVES, commendandum fuit Io. Frid. Roetingi, Wildauia Saxonis, Leg. cultoris ornatissimi, propositum, qui cras ex instituti Mareschalliani lege orationem, de seruitute iuri diuino et humano non aduersa, habebit. Vestrum est decus illud eximum amare, amplecti, atque persequi, quidquid ad litterarum facit vel dignitatem, vel utilitatem. Vnde de elegantia vestra nobis hoc promittimus merito, vt conuenturos Vos ad audiendum frequentes atque beneulos speremus. P. P. Viteb. ad d. VI. Cal. Maii

XI 10 CI CI

Th 2972


ULB Halle
007 441 851

3



B.I.G.

Farbkarte #13



RECTOR
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS
**CHRISTIANVS
SIGISMUNDVS
GEORGIVS**
S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIUS ALVMNORVM
REGIOELECTORALIVM EPHORVS
INSTITVTVM
IO. FRIDERICI ROETINGI
WILDAVIA SAXONIS
LEG. CVLT.
LIBERALITATIS MARESCHALLIANAE MEMORIAM
ORATIONE ANNIVERSARIA
A. D. V. CAL. MAI. A. S. R. CIOCCCLIX
IN AUDITORIO MAIORE
CELEBRATVRI
CIVIBVS
ET STVDIORVM FAVORIBVS
COMMENDAT

Attinguntur per hanc occasionem nonnulla ex
Antiquitate Saxonica.

VVITTEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

